



# Disputatio medica inauguralis de catalepsi

<https://hdl.handle.net/1874/343811>

33.

D I S P U T A T I O M E D I C A  
I N A U G U R A L I S ,  
D E

# CATALEPSI,

Q U A M

A U S P I C E D E O O P T . M A X .

*Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

## M. GERARDI de VRIES,

Philosophiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Illustri  
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academicici Consensu, Nobilissimæque*

*Facultatis MEDICÆ Decreto,*

P R O G R A D U D O C T O R A T U S

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis rite  
& legitimè consequendis,

*Publico examini subjicit*

ADOLPHUS DIETERICUS SCHRÖDTER, Hamburgens.

*Ad diem 24. Octobris, horis locoque solitis.*



T R A J E C T I ad R H E N U M ,

---

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clc Ic xcii.

V I R O

*Excellentissimo Nobilissimo,  
atque Experientissimo*

Dno. Dno.

**CHRISTOPHORO  
SCHRÖDTERO.**

Sereniss. Ducis Megapolit.  
Gustrov. Consiliario atque  
Archiatro.

Parenti suo summe devenerando

*Dissert. hanc Inauguralem*

D. D. D.

A U C T O R.



J. N. I.

## PROOEMIUM.



*On inter vulgares atque quotidie in  
Praxi obvios affectus est, quem in præ-  
sens nobis enodandum suscepimus: Per-  
multi enim Medici, quamvis Praxi to-  
tam dedere vitam, nullum tamen ejus-  
dem Exemplum se vidisse profitentur lu-  
bentissime. Quidam unicum oculis at-  
que admirationi illorum sese obtulisse,  
scriptis tradiderunt. Perpauci plura se expertos esse glo-  
riari possunt. Plurimi aliorum fide freti, ea quæ alii vel  
falsa vel fabulis aucta reliquerunt, suis incorporarunt  
scriptis, imo oculatos se profiteri testes haud erubuerunt.  
Nonnulla tamen ab Auctoribus dæmoniis, tam ex veterum  
quam modernorum classe, scriptis mandata, posteritatique  
relicta sunt exempla, lectorem in similem fere stuporem  
abripientia. Inter Observationum Medicinalium scrip-  
tores in compendio quasi quamplurimas à veteribus catalep-  
ticorum historias relictas, nobis sifit Joh. Schenckius in  
Obs. Med. lib. i. p. 60. seqq. Nostro verò seculo in annotan-  
dis iisdem præprimis operam contulere Tulpius in Obs.  
Med. Lib. i. Cap. 22. p. 45. Benedict. Silvaticus in Conf. &  
Respons. Med. Cent. i. Conf. 76. p. 130. it. Cent. iv. Conf.*

7. p. 476. Fernelius trium Galliæ Regum Archiater *duo catalepticorum Exempla enumerat* Lib. v. de Part. Morb. & Sympt. Cap. 2. Fr. de le Boe Sylvius in Prax. Med. Lib. IV. Cap. 24. Joh. Mich. Fehr. in Ephem. Med. Phys. Decur. II, Ann. I. Obs. I. p. 2. Chr. Franc. Paullinus in Ephem. Med. Phys. Append. ad Decur. IV. Ann. V. Obs. II. p. 6. & Obs. 28. pag. 19. Joh. Dolæus in Encycl. Med. Theor. Pract. Lib. I. Cap. 7. p. 96. Illustris Wedelius *Fautor ac Praeceptor noster ad cineres usque colendus*, in Dissertatione ante biennium de Catalepsi habita, duarum mulierum catalepticarum facit mentionem. Quibus denique addimus illud à Parente nostro summe Venerando, cum ante 27 Annos in itinere occupatus Patavii degeret, observatum, cuius posthac pluribus mentionem faciemus. Recte itaque Henricus ab Heer, tanquam inania verba, & magnæ jactantiae signum illud Nollentis, Medici cuiusdam ipsi coætanei, responsum proclamat, qui cum ab ipso ad Monachum quandam catalepticum vocaretur, rogatus, num similem casum aliquando vidisset? plus millies respondit; cum pergeret ubinam? Romæ, dixit. Ad quod ille rectè retulit, O te infelicem in veriverbio! non puto mille fuisse Catalepticos, ex quo morborum terris incubuit cohors, Galenus, Fernelius, Platerus, Dodonæus unum duosve viderunt, apud alios plerosque altum de iis silentium est, neque verisimile videtur, tam raram rem si vidissent, tacituros fuisse. Huic Morbo explicando cum sequentes destinatae sint paginae, divinum Numen invocamus supplices, velit hæc nostra studia in sui gloriam proximique emolumentum dirigere.

D I S.

D I S P U T A T I O M E D I C A

*I N A U G U R A L I S,*

D E

# C A T A L E P S I.

## T H E S I S. I.



Ntiquitatis laude celebre est illud *Galeni lib. I.*  
περὶ πράσεων. Cap. 7. p. m. 67. Χρὶ πρότερον ὑπὲρ τὸ  
δυομάτων σιδέρων, τὸ ἐμπίπλεν ἐξ ἀγάυης μελα-  
λόντων, εἰς τὸν ἴσχεντος λόγον. Oportet prius de  
nominibus discernere, quæ incident necessario  
in habendo nobis sermone. Hoc & nos consi-  
derantes, priusquam ad realem Affectus no-  
stri considerationem perveniamus, præmitte-  
mus illa, quæ nominis explicationi inservire  
poterunt. Denominationis autem explicatio ex Græco verbo *καταμβάνειν* est petenda, quod latinis deprehendere, offendere, au-  
dit & componitur ex præpositione *κατά*, quæ in compositione ut-  
plurimum habitudinem quandam affert, & verbo *μπάνειν*, capere,  
accipere, præhendere, afficere; qua voce, tam ratione repentinae  
invasionis, quam constantis & firmæ permissionis, ab antiquitate  
appellatus videtur esse.

### I I.

Non autem solus hic, cui nostra in præsens fumant altaria, af-  
fectus hoc sibi nomen vendicat, sed si alios quoque auctores non  
Medicos evolvimus, & illos in suum id convertisse usum inveniemus  
passim. Sic pro firma rei cujusdam in mente perceptione sive com-  
prehensione Metaphorice adhibetur passim, ut dicit Arist. lib. I. de  
*Morib. ad Nicomach.* συσέμα ἔτι τὸν καταλήφειν ἐγγεγυνασμένων πρὸς τὰ  
τέλη ἐνχειστον τὸν τῷ βίῳ i. e. artem constare ex perceptionibus con-  
sentientibus ad finem utilem vitæ. Et *Lucianus de seſt. Philof.* loquens  
de Stoica ita inquit ἐν καταλήψει εὐλιτού, i. e. nunquam eandem  
adipiscendi spes fuit. Sic quoque *Cicero 4. Acad. Quest. 99.* inquit,  
cogitationes, vel si hæc verba aut minus placent, aut minus intelli-

guntur, κατάλεψης appellemus licet. Dein Musici quoque quando concentum explorant, comprehensionem & pulsationem chordarum κατάληψιν vocant, ut annotatum ex schola Aristophanis ita dicentis, κατάληψιν εἰωθασίν οἱ μετοί λέγειν ἐπαιδάν πλήγας τοῖς δακτύλοις ἢ τῷ πλάκρῳ ταῖς χορδαῖς, κατάλαβοι καὶ δοτείνωσι τὸ φρέγγον. Sed hæc extra forum medicum vocis hujus acceptio. In eodem verò nec una accipitur ratione, sed interdum late, interdum stricte. Ratione primi modi sumitur apud Hippocratem lib. θεοτρόπ. VII. n.8. p. m. 49. pro sanguinis in vasis interceptione, quando dicitur, τὰς δὲ θηλές πρεσβύτερων φλέβας τῆς κατάληψεως χρὴ φυλάσσειν: item de κατάλεψι πνεύματος, cohibitione spiritus Galenus lib. 2. de Sanitate tuend. c. 12. mentionem facit. Pro Urinæ & sanguinis interceptione usurpatur vox κατάλεψεως apud. Hipp. lib. 2. Θηδητῶν Sect. III. no. 75. p. m. 700. Pro Affectu illo ex Lethargo & Phrenitide juncto, Græcis τυφωματίᾳ dicto adhibetur ab Aëtio l. vi. cap. 4. Pro Comate Vigili à Paulo Agineta l. III. cap. 6. Stricta tandem sequitur, & propria magis vocis hujus acceptio, quæ nostra est, dum certum quendam eadem denotamus morbum, non nostro tantum ævo sed priscis jam temporibus κατάλεψιν vocatum. Vid. Galen. lib. IV. de locis affect. Paulum Aginet. lib. III. cap. 6. II. Job. Gorrai Definitiones Med. p. 297.

## III.

Non unicam autem Medicorum scripta evolentes Affectus hujus denominationem invenimus, sed ut saepius, præsertim in Medicina fieri solet, variis appellationibus sese delectarunt auctores. Inter has autem ex Græcis vulgatissima est κατάχεσσα, sive κατάχη, qua utitur Galen. lib. III. de loc. Aff. cap. 5. præterea ἀφωνία Diocli αὐανδία Antigeni audit. Composito nomine ἀρυπνον κώμα à Galeno vocatur passim, quamvis alias distincti affectus sint Catalepsis & Coma vigilans. Per Periphrasin, τὴν φλεβῶν καὶ πνευμάτων δοτὴν φιλονομίαν vocatur à Coo. A latinis exprimitur vocibus Interceptionis, Cohibitionis, Præhensionis, Congelationis, Morbi Attoniti: it. ab effectu Stupor vigilans dicitur. Germanis voce satis generali die Sinnehmung audit ut aliarum gentium voces, quibus Affectum nostrum exprimere solent, raseamus.

## IV.

Sed fracto jam cortice, ipsum quoque degustabimus nucleum, quod ad obtinendum, non in colligendis multis Auctorum definitionibus occupati erimus, sed qui harum varietate delectatur ablegamus

gamus ad *Gorrhæi Definit. Med.* p. 297. & 302. *Galen. IV. de loc. Aff. 2.*  
*Joh. Bapt. Silvat. Histor. Med. Gal. VIII. p. 56. Joh. Guinth. Andernaci de*  
*Med. Ver. & Nov. Comment. I. Dial. 8. p. 586. Donat. Ant. ab Altomari*  
*de Medend. Hum. corp. matis cap. IV. p. 120. Joh. Jac. Weckeri Syntax. Med.*  
*I. II. part. 2. p. 387.* ut alios quam plurimos, tam veteris quam novæ  
scholæ Medicos taceamus, qui cuncti ferè rem eandem diversis tan-  
tummodo depinxere coloribus. Nobis jam ita placet hunc Mor-  
bum Catalepticum describere in genere. Quod sit Sensum mo-  
tuumque voluntariorum præceps cessatio, qua correptus, attoniti  
instar, rigidus per totum paroxysmi decursum, eandem omnium  
corporis partium figuram, quam eodem invasionis momento habe-  
bat, servat: superflite Respiratione & Pulsu.

## V.

Hac posita Affectus nostri descriptione necessarium quoque erit  
de differentiis ejusdem nos esse sollicitos, partim ut eo certiores dein  
in Diagnosi simus, partim, ut aliorum, clarissimorum etiam quo-  
rundam auctorum error pateat, qui cum cognatis cundem affecti-  
bus saepius confuderunt. Hoc ut eo facilius obtineamus, nostro  
quidem judicio non errabimus si duplex ejusdem differentiarum con-  
stituamus genus. Alterum à cognatis affectibus, alterum inter se.  
Prioris ratione maxime ipsi cognatam deprehendimus, primo Con-  
vulsionem universalem, quæ præsertim ratione figuræ externæ, fa-  
cile fallere medicum in Diagnosi posset: hoc tamen ratione invasio-  
nis observandum est discrimen, quod illa correptus æger, eum re-  
tineat corporis situm, quem musculi, motu voluntario gaudentes,  
mentisque imperio obedientes casu eodem invasionis momento ca-  
piebant: Hac verò post spasmodicos utplurimum ac convulsivos  
motus prægressos corripiatur, in quibus non voluntario & natura-  
li, sed involuntario ac p. n. motu musculi gaudent, dum hi pro va-  
rio ac impetuoso spirituum animalium, non ex mentis imperio, sed  
proprio nutu, influxu, modo hue modo illuc rapiuntur. Alter  
Affectus est Coma vigil, à quo haud difficulter quoque discernitur,  
præterquam enim quod membrorum rigor hic absit, facile quoque  
ab eodem excitatur æger, quamvis statim in somnum iterum inci-  
dat. Multa quoque cum affectu nostro communia habet Apo-  
plexia: Sensu enim motibusque voluntariis in eadem æque ac in  
hac privatus jacet ager; ab oculato tamen Medico, facile ejusdem  
à nostro differentia agnosceret, dum præter invasionis celeritatem,  
contrario-

contrario plane in illo spiritus animales afficiantur modo. In Apoplexia enim corundem à centro ad peripheriam egressus, in Catalepsì vero corundem à peripheria ad centrum regressus, in utraque mentis in eosdem dominium impeditur. Prius membrorum flacciditas, posterius corundem rigor prodit. Quare nec erroris incusandus erit ille, qui Catalepsin inversam dicit apoplexiā. Convenit quoque in multis cum Ecstasi, imo vulgo cum eadem confunditur, quod elegans in *Obs. Med. Schenckij lib. 1. p. 60.* annotatum exemplum Sacerdotis probat, hic enim cum in sic dicto Misericordiae sacrificio consueto manus elevans, Catalepsì corriperetur, vulgus divini quid subesse, Sacerdotem nempe in Ecstasi rapi, atque cum Deo colloqui existimabat. Diversi tamen & hi sunt affectus. In hoc enim mens in certo quodam, acie sua incomprehensibili objecto, ut plurimum divino considerando est occupata, ut ita actionibus, sibi ex unionis cum corpore lege incumbentibus minus praescit possit: & quamvis corporis partes, eundem saepe servent situm, nullus tamen adest earum rigor, imo saepe hac correptiloquuntur, sed solum de unico illo, quod jam meditantur objecto. Imo ut plurimum divini quid his subesse solet. Catalepticis denique haud assimiles tam ratione figuræ quam rigoris partium, Fulmine icti, his tamen præter sensus & motus voluntarios, ipsa quoque respiratio, pulsusque pereunt sive mors adestrit, illis ut plurimum per breve temporis spatium ad se redeuntibus, sanisque iterum existentibus.

## V. I.

Ad secundum jam differentiarum genus devolvimur. Inter se autem hic affectus non nisi gradu distinguitur, in aliis enim præter externorum membrorum omnium rigorem, nullum sensacionis advertitur signum, quale exemplum in Monacho quodam capucini ordinis annotavit *Henricus ab Heer in Observ. rar. 3. p. m. 38.* In aliis visus, imo auditus quoque illæsi manserunt, quamvis ob muscularum motum interceptum corundem organorum rigor adfuerit, id quod paroxysmo desinente, ex illorum relatione licuit colligere. Cujus generis historiam habet *Galenus in Comment. 2. in 1. Prorrhet. Hipp. Cap. 56.* qui de condiscipulorum suorum quodam refert, quod post paroxysmum, omnia se vidisse atque audiisse in eodem narraverit. In aliis sensus omnis perit, rigor tamen in minori gradu observatur, propulsus ad passus aliquot ambulant, imo deglutitio, quæ motuum voluntariorum species est, integra manet.

net. Ut se expertum esse *Fernelius in Tract. de Part. Morb. & Symp.*  
*Lib. v. c. 2. affirat.*

## V I I.

Delineatis hisce, de subiecto, sive Parte primario affecta inquirendo solliciti simus necesse est. Cerebrum ejusque incolas primario affici, vel rei medicæ imperitus concludit facile; quinam verò ex iisdem afficiatur primario, magna inter Medicinæ proceres foveetur disceptatio. Mentem ipsam, ejusque facultatem imaginatricem, non exclusis tamen aliis ejusdem potentissimis, primarium Catalepseos subiectum cum Galeno tota ferè venditavit veneranda antiquitas. Ait eadem *anatomam* esse, ac potius compati, quam pati, ob arctissimum nempe cum corpore nexus, tot jam probatum argumentis est, ut superfluum foret eadem novis cumulare. Videri autem eadem possunt latius deduceta apud *B. Waldschmidt. in colleg. ad Timei Cas. Med. habito p. 698. seq. Excell. Wed. in Pathol. Med. Dogmat. Sect. I. Cap. II, p. 21. Renat. des Cartes in Tract. de Passio. Animæ in init. it. Bapt. ab Helmont. Tract. Demens Idea. p. m. 205.* Præter hos quidam cum *Benedict. Silvatico in Consil. & Respons. Med. Cent. I. Cap. LXXVI. p. 130.* ventriculos cerebri partem affectam constituere contendunt. Alius membranosam spinalis medullæ substantiam pro subiecto agnoscere placet. Insignis ille Philosophus *Renatus des Cartes* glandulam pinealem, (quam variis probabilibus potius quam apodicticis ratiociniis mentis sedem esse comprobare studet *Tract. de Pass. Anim. part. I. Art. 32. & de Hom. passim*) pro parte principaliter affecta habet. Quam quidem ingeniosissimi hujus viri sententiam refutare non est hujus nec loci nec scopi.

## V I I I.

Extra cerebrum autem divagantur quoque auctorum quidam, & alias corporis partes accusare tanquam mali hujus domicilium volunt. Inter quos imprimis *Helmontius Tract. Jus Duumviatus* occupatus valde est in demonstrando, uti soporosos affectus, ita & hunc primarium in stomacho habere sedem; sed argumentorum in hunc finem adductorum consequentias facile destruere poteritis, qui mentis acie easdem perpendet. Quamvis enim hoc ipsi ambabus largiamur manibus, cerebrum non semper per essentiam, sed sèpissime etiam per consensum in hujus generis morbis affici, tamen ex fonte ad sedem concludere non licebit. Hæc enim si

B

valeret

valeret argumentatio, Proh! quot haberemus Catalepticos. *Fonseca* tandem cor eligit, hoc enim spirituum mentisque domicilium putavit. Quam tamen sententiam citasse sufficit.

## I X.

At cum satis jam in recensendis aliorum sententiis occupati fuerimus, nostram quoque ut exponamus necessitatis est. Ad melius autem percipiendam hancce doctrinam, distinguimus illud in subjectum ratione causæ radicalis, & ratione symptomatum. Mentis sedem in qua sentire, percipere, meminisse, imaginari suaque functiones exercere comperitur, seu sensorium commune pro primario ratione causæ radicalis affectus hujus domicilio habere, hac adducimur ratione, quod videamus mentis cum corpore commercium pro majori vel minori mali hujus gradu, plus minusve esse interceptum, hincque sensus, motusque voluntarios, modo omnes modo quosdam tantum cessare. Sensorium autem commune merito ibi collocamus, ubi mens firmissimam suam cum corpore unionem demonstrat. Hoc autem ibi fieri, ubi principium ac origo nervorum omnium, sive spirituum animalium, velut animæ emissariorum per quos suas in machina nostra corporea operationes efficit, tam ad munia sua obeunda introitus, quam pro objectis per contactum in variis corporis partibus ipsis impressis menti offerendis egressus patet, quilibet facile nobiscum consentiet: prioris namque ratione imprimis motus voluntarii posterioris verò sensus omnes peraguntur, ut erroris itaque accusari nequeamus, si omnes, quotquot mens ex unionis cum corpore lege obit actiones, his sub speciebus spirituum nempe emissione, & objectorum ab iisdem allatorum acceptance comprehensionamus. Nervos autem hisce actionibus dicatos omnes, in cerebro, & imprimis ex Medulla Spinali oblongata, originem habere, satis jam per experimenta in corporum dissectionibus facta, oculatissimi seculi nostri anatomici comprobarunt. Ex his autem concludi nolumus nos certo quodam animam nostram rationalem includere spatio, hoc enim solis corporibus commune est, sive ab eadem, tanquam spiritu maxime alienum, cum nullum tam vastum excogitari spatium possit, quo non major, nec tam exile, quo non minor eadem sit. Illud autem est, quod in questionem venit, quamnam corporis partem mens imprimis ad munia sua, ex unionis lege sibi incumbentia, obeunda elegerit? hanc autem medullam

spi-

spinalem in cerebro oblongatam constituerem ex dictis antea concludimus. Ne verò materiæ ex professo hoc loco non tractandæ nimis inhærendo extra Scopum vagari videamur (philosophandum n. paucis) id jam quod necessario ad dignoscendam corporis partem primitus in hoc morbo affectam adduci debuit, relinquentes, ad subjectum affectus nostri secundarium, sive ratione symptomatum considerandum nos accingimus. Illud autem imprimis nervi, sensibus tam, quam motibus voluntariis dicati, una cum fibrillis suis atque papillis, muscularis (ut omnis motus voluntarii organis) ac membranis intertexti constituunt: Prius sensuum omnium (in exquisita quidem Catalepsi) cessatio, posterius muscularum partium rigor, motusque voluntarius cessans ostendit clarissime. Quorum posterius priori quidem frequentius accidisse historiæ probant, referunt enim eadem, ægros sepius finito Paroxysmo, omnia quæ vel visui illorum, vel auditui sese, durante paroxysmo obtulerunt, enumerasse, id quod de reliquis quoque sensibns, pro majori vel minori morbi gradu, suspicamur.

## X.

Sed jam causarum labyrinthum adire ordo jubet, ex quo, ut cum Theseo Minotauri nostri victores redeamus, aliorum prius, & quidem præcipuorum Medicinæ nostræ doctorum, de his opinionem videbimus, antequam quid nobis ratio dictitet exponamus. Hos inter si innumeros fere Galenice Scholæ addictos consulamus, inveniemus, eorundem quosdam cerebri intemperiem quandam frigidam & sicciam accusare, cujus ratione, & cerebri & Spirituum fiat congelatio, hancque intemperiem succum quandam Melancholicum, frigidum & siccum in cerebrum introducere ajunt, id quod suis, & ut solent, levioris ponderis, debilibusque argumentibus probant. Sed præterquam, quod concipere nobis non possimus illam intemperiem, quæ materiam melancholicam, frigidam ac sicciam cerebro afferre debeat, nisi in ipsa hac materia eandem consistere dicamus; quærimus ex ipsis, qua saltem ratione sibi intemperiem imaginari possint, quæ vel tam subito induci, vel tam repente solvi possit, ac hic morbus ægros tam præhendat, quam relinquit? præsertim cum non defint observationes, sine ultra vehementi causa externa eodem correptos esse quosdam. Et qua ratione explicaremus, quod interdum excepto tactu omnes, interdum quidam sensuum externorum illæsi manserint, si haec sta-

ret sententia? Nec desunt ex iisdem, qui membranarum cerebri distensionem pro causa mali hujus ventilant, eamque venarum atque arteriarum per easdem exorrectarum nimiæ repletioni tribuant. Sed mirum quantum & hi falluntur. Qua enim ratione à membranis his sensuum motuumque voluntariorum interceptiones deducere poterunt? Mittimus hos, & quid Chimicorum cohors hac de re statuat videbimus. Hi quoque in diversas abeunt sententias, nonnulli vapores sive Spiritus Sulphuris cuiusdam narcotici sive stupefactivi, qui viscositate sua ligare, vel aciditate Vitriolata figere Spiritus animales possunt, pro causa agnoscent. Nonnulli verò hanc sibi conceptam Spirituum animalium congelationem à Mercuriali derivare principio volunt, à Mercurio nempe cremoso per mutationem gradus alterato ac destillato, hocque experimento sequenti, quod *Rofinicus* habet, se probasse putant: quemadmodum Spodium vino infectum extimam vini superficiem congelat, ita hic Mercurius insita vi in rabiem excitatus nimis impingitur corpora constringit, & rigida reddit, ut Sulphur non vaginam sed ferrum, non sarcum sed nummos petit. Sed credit is, qui comparationem hanc congrue institutam esse putat. *Helmontius Tract. Demens Idea p. m. 225.* no. 31. Ejusque pullus *Fr. Osw. Grembs. Tr. Arbor Integr. & ruinos. Horn. Lib. II. Cap. I. §. XI. p. 206. no. 80.* obscure satis mentem suam exprimunt, dum Archeum quandam sibi singunt teturum inducendum lumen, à Sal. corrosivis sive irritantibus, accensum, illumque mali hujus causam statuunt. Si *Sylvii* hac de re sententiam intuemur, ipse spiritus animales in hoc affectu plus minus torpidos, & sic ad motum ineptos fieri, atque coagulari putat. Ad quam sententiam confirmandam Spirit. animales, cum Spirit. vini subtilissimo comparat, atque eosdem, similiter ac hunc à Spirit. Urinæ humanæ coagulari putat. Sed Spirit. hic vini, quamvis milles reficitur, illum tamen non acquiret subtilitatis gradum, quem Spirit. animales haberent, sive & haec annihilatur comparatio. Spiritus autem Animales coagulationi minus aptos esse solidissimis probavit ratiocinaliis *Craan* quæ ne crambem bis coctam L. B. propinamus, hic loci tacemus, eundemque allegamus ad Auctoris prælaudati dissertationem de *Catalepsi* habitam. *Renatus des Cartes* una cum asseclis suis, uti sedem hujus mali in glandula cerebri pineali dicta collocant, ita causam ejusdem à catarrhoa quadam lympha vel glandulam totam, vel partem solummodo, pro graviori vel mitigationi.

tiori gradu, plus minusve opplente deducit. Sicque non conatum sed facultatem Spiritus determinandi menti deesse statuunt. Ante enim invasionem hujus morbi subitaneam, Spiritus animales, æquali quidem copia, motuque vehementi in artus musculosque ad quos à mente tunc temporis erant determinati, influere, hancque determinationem non mutari durante Paroxysmo contendunt: Quam sententiam acriter defendunt Brockhusen. in Oeon. Anim. Articul. 102. p. 599. & seqq. & Craan. in Tr. de Hom. Cap. xci. p. 545. & seqq. Sed collabente hoc fundamento, Glandulam hanc nostri affectus sedem esse, collabitur simul quicquid illo superstruitur.

## X I.

Verum, quisque suo abundet sensu. Nos melioris doctrinæ gratia, tria constituimus causarum genera, Proximam sc. & Immediatam, Proxiorem, seu Mediatam, & Procatasticas, quarum, cum altera ex alterâ fluat, omnes indissolubili quadam serie ita inter se invicem sunt connexæ, ut dissolvi non possint. Proximam quidem constituere causam id aptum natum esse oportet, quod corporisconomiam naturalem nihil vel parum saltem immutat, mentis tamen in id dominium, & Spirituum determinationem omnemque non raro perceptionem impedit. Cum videamus Affectum hunc non raro satis sanos unico apprehendere momento, brevi quoque remittere iterum, nec ullam læsionem, vel molestiæ sensum post se relinquere, nisi quod ut plurimum lassitudinem quandam, quam à nervorum tono qui rigidus nimis atque extensus in Paroxysmo erat, nunc remittens iterum ac flaccidus nimis est, deducimus. Hanc itaque causam in humore quodam circa sensorium commune p. n. stagnante, illudque vel comprimente, vel obstruente quærimus. Utrumque enim Spiritibus ad imperia mentis exequenda ibidem existentibus præcludit vias, hoc enim eorundem transcolationem, illud transcolatorum in nervorum ostia introitum impedit. Circulari sic spirituum motu, cum centrum attingere nequeant, impedito, necesse est Aëream hancce substantiam nervis suis, eorumque fibrillis, muscularis intertextis inhærere, illosque inflare atque distenderes, unde partium externalium deducendus rigor, stupor atque durities. Gradus autem quod in his major, in illis minor observetur, exinde oritur, quod in his ex parte tantum, in illis verò ex toto sensorium commune obstruatur: Hincque in priori casu non omne mentis in Spiritus

B 3 domi-

## 125 3. DISPUTATIO MEDICAI I

dominium interceptum sit, sed motu quamvis cessante, sensus tamen liberi fiant. Salva autem ut plurimum in utroque casu existit respiratio (quæ voluntariis quoque motibus annumerari potest, quamvis enim de eadem ut consueta re, mens non semper cogitet, ab illa tamen cohiberi potest,) ob nervos organis illius, spiritus animales, satis magna in copia advehentes, (quos à quinto & sexto nervorum pari alii, alii ab octavo derivare volunt,) minus clausos.

## X I I.

Causam Mediatam Proxiomorem in fluidis corporis partibus quærendam, ex antecedentibus jam colligi posse putamus: hanc autem non unam semper esse, circumstantias considerans advertet facile: in hoc etenim subjecto sanguinis, in hoc lymphæ nunc quantitas, nunc qualitas accusanda venit. Quare quicquid ex fluidorum in corpore genere ad cerebrum delatum, sensorium commune obstruere, sicque determinationem spirituum impedire quovis modo potest, causam mali hujus Mediatam constituit. Humorum vero in cerebro circulantium in statu naturali duo præprimis sunt genera, sanguis scilicet subtilissimus atque purissimus per arteriæ aortæ ramos subclavios, horumque duo insignia arteriarum sc. Carotidum ac cervicalium paria, pro spirituum animalium secretione illuc delatus: & lympha quedam purior ac gelatinosa, ejusdem nutritioni dicata. Hi duo humores, si debita qualitate gaudeant, nec in solito majori copia illuc deferantur, imo peracto ibidem negotio per venas vertebrales ac jugulares internas, ad cor tanquam centrum suum iterum redeant, omnia bene sese habere necessum est. Si vero vel crassi sint humores, particulæque viscidæ, acidæ aliæve admixtæ, vel in quantitate excedant, vel in motu suo retrogrado impedianter, sensorium commune obstruere, sicque hunc Affectionem producere sunt nati Hanc nostram sententiam experimentis probare suscipiemus. A Sanguinis quidem multitudine confertim caput occupante, ipsumque superimplente hunc morbum inductum esse, in adolescente quodam tanquam oculatus testis probat *Aetius Tetrabibl. II. Serm. II. cap. 4.* Hic cum triduum exegisset rigidus, nec palpebras claudens, nec ad vehementes vociferationes oculos movens, nec ad interrogata respondens, quarto demum die, larga sanguinis eruptione per nares facta, ab omnibus statim molestis liber factus est. A Sanguinis vero crassitie Catalepsin observavit *Jacovins Comment. ad Aph. 7. lib. 2. Hipp.* Facta enim apertione hominis

hominis cuiusdam hoc morbo defuncti, majores cerebri venas recta decurrentes ab occipite ad synciput plenas concocto crassoque sanguine videntur. A serosa tandem materia rubore tincta, in posteriore capitis parte stagnante, malum hoc ortum fuisse, per Anatomen factam in homine primo statim die violentia hujus morbi extinto, detexere *Scoliographi in Holl. de Morb. Intern. l. I. cap. 9.*

## X III.

Explicatis his, jam in amplissimum causarum Procatarctiarum campum expatiamur. Hæc autem harum causarum est conditio ut non semper absoluta quadam necessitate morbum nostrum præcedere debeant, sed quamvis saepius eundem præcessisse observatae sint; nonnunquam tamen nulla ex his pro vera ejusdem causa venditari possit. Tres autem harum constituendæ classes, rerum sc. Naturalium, non naturalium & præter naturalium. Ex Prima classe temperamento melancholico atque Phlegmatico gaudentes maxime (non exclusis tamen reliquis) huic morbo sunt obnoxii, prioris enim ratione particulæ crassæ, acidæ, viscidæ, terrestres, aliæque ad siccum atque coagulum, sive obstructiones, maxime pronæ prædominantur in sanguine: posterioris autem ratione particulæ aquosæ, pituitosæ, viscidæ, lentoque gaudentes motu abundant, quæ facilime in cavitatem quandam corporis sese diffundunt. Inter ætates senilis magis juvenili huic morbo obnoxius est. Quod si exemplis probatum velis vide *Facotum in comment. ad Aphor. 7. l. 2. Coac. Hipp. it. Dodon. in annot. ad cap. 4. Obs. Medicinal.* E sexibus vero fœminino magis, quam masculino familiaris est hic affectus: cuius cause ut satis manifestæ, explicatione non indigent. Sic ex Mensibus vigesimo ætatis anno nondam fluentibus Catalepticam observavit puellam *Gabelchouernus* eamque notavit in *Tr. de Obs. suis.*

## X IV.

Ex secunda classe incusandus primo Aer frigidus ac humidus, ille namque & poros corporis exclusioni seri superflui dicatos, occludere, humoresque circulantes coagulare aptus est, hic ferositates auget, heterogeneitatesque quamplurimas Massæ Sanguineæ infert. Sic milites quamplurimos in asperrima hyeme, nive ac gelu admodum horrido existente, in obfitione urbis cuiusdam occupatos, Catalepsi correptos vidit *Job. Heuterus*, annotante *Forest. Obs. 41. lib. 10.* E cibis vero magis præ alius huic affectui producendo apti sunt crudæ

crudii, acidi, viscidii, salvi, fumo indurati, crassi, concoctu difficiles, valde refrigerantes, ut & Medicamenta vehementer refrigerantia, vel interne assumpta, vel externe capiti applicata: it: Narcotica intempestive vel in majori copia assumpta: & in genere omnia, quae serosas acidas, crassasque sanguini particulas communicare valent. Potus aquæ prægelidæ, præprimis corpore nimio motu valde defatigato, potus vini nimius, corpore gelu niveque perfrigerati, ut & acidi, novi, non bene fermentati, cerevisiæque recentis nondum defœcatæ. Exemplum horum elegantissimum videre est in *Benedict. Silvat. Consil. & Respons. Med. Cent. I. cap. LXXVI. p. 130.* Motus, tam excessu, quam defectu peccans, alter enim spiritibus depauperat sanguinem, sicque viscidum eundem reddit, alter itidem sanguinem reliquosque corporis humores incrassat, figitque. Prioris exemplum legere licet apud *Benivenium in Abditis cap. 102.* qui virum gravibus ac diutinis laboribus fatigatum Catalepsi periodica correptum vedit. Haud absimili quoque cum his modo somnus ac vigiliae affectum hunc producere posunt. Excreta quoque ac retenta, si non sint naturalia hue facere videntur. Etenim si illa quæ excerni debebantur, retineantur, vel heterogeneitate à sanguine non secernuntur, vel eidem ex circulationis lege communicantur iterum, à quibus jam semel est mundatus. Si contra quæ retineri debebant excernantur, tota iterum œconomia animalis turbatur. Exempla paſſim legere licet apud auctores. Restat ex rebus non naturalibus ultimum, sed præcipuum: Animæ nempe passiones, quæ quam aptæ huic morbo producendo sint, plurima testantur exempla. Ex Mærore Catalepticam vedit *Rondeletius*, eamque annotavit in *Meth. Cur. Morb. p. 93.* ex quo eandem refert quoque *Wierius de Prestig. Demon. lib. v. cap. XXXV. p. 635.* Item *Excell. Wedelius in Pathol. Med. Dogm. Lib. IIII. cap. x. p. 618.* Iram malo huic producendo aptam fuisse, exemplum habet *Dolens in Encyclop. Med. lib. I. cap. VII. p. 96.* Terrorem nimium morbum hunc subsecutum notavit *Paulinus in Observ. Med. Phys. Select. 19. annexis Ephem. Germ. Dec. II. Ann. V.* Ex inopinata repulsa à virgine admodum à se amata Catochoticum tradidit juvenem *Tulpins in Obs. Med. lib. I. cap. 22. p. 45.* Nimium denique literarum studium atque profundas cogitationes Catalepsin induxisse videmus apud *Galenum in Comment. 2. in I. Porribet. Hipp. c. 56. Fernel. de Part. Morb. & Sympt. lib. v. cap. 2. p. 520.*

## X V.

Ex Præternaturalibus autem rebus, plurimas morbo huic producendo aptas fuisse, plurima confirmant exempla. Sic ex Febre in Catalepsin incidisse quendam, observavit *Holler, in Comment. ad XIII. l. v. Coac. Hipp.* Imo in declinatione jam existente Febri eandem accessisse notarunt *Scoliographi ad lib. I. cap. ix. Holler. d. mot. intern.* Admiratione quoque dignum Catalepsos simul cum Febre invadentis, cum eaque iterum remittentis exemplum legere est in *Obs. Med. Dodon. cap. iv. p. 9.* Ex Delirante Catochoticum idem notavit *Hollerius l. c.* Puellam quoque vermibus vexatam, saepius hoc morbo corruptam annotavit *Dodon. Obs. Med. p. 265. ex Benedict. lib. I. cap. 26.* Convulsiones frequentiores hoc demum malum insecumum esse in muliercula quadam, mentionem facit *Cl. Febr. in Ephemer. Med. Phys. Dec. II. Ann. I. p. 3.* Quibus adjungimus denique casum à Parente summe venerando, ante viginti & septem annos observatum, notatu certe dignissimum, quem ex ejusdem ore ita accepimus. Cum Patavii vivens cum D. Casallo ejusdem loci Practico, ægrotos, quibus præerat, visitarem, offendimus uxorem cuiusdam Bajulatoris puerperam, viginti quinque circiter annorum, Catalepticam. Hæc elapsa triduo à partu enixa, mariti desiderio satisfacere cupiens, matrimonii debitum ipsi persolvit. Post actum matrimonialem mulier omnis sensus ac motus expers, in illo, quo præhenſa fuit corporis situ rigida mansit, oculis quidem apertis, nihil tamen videns, membra mota, eundem, quo flectebantur, retinebant statum. Nos tribus jam Paroxysmi elapsis horis, matutino tempore eandem ita invenimus, nec nisi post octo ab invasione horas, ex lege Methodi remediis ut & adhibitis variis ligaturis, frictionibus, & inunctionibus ad se rediit omnium actorum ignara. Causæ indagationem peritoribus hac ine rrelinquimus.

## X V I.

Quamvis supra in Morbi definitione Pathognomonicorum ejus signorum maximam partem jam explicatam putemus, tamen instituti nostri postulare videtur ratio, ut prædicta signa, Diagnostica alias vocata, singulari quoque explicemus pagina, cum sine his Medicinæ Tyro vix ad exactam gravissimi hujus morbi cognitionem pervenire possit. Tradit eandem *Lommiss in Obs. Med. cum Prefatione Wedelii editis. l. II. p. 83.* Nos præter celeritatem tam invasionis, quam remissionis, summum crinomenon in eo quærimus, ut cor-

pus per totum Paroxysmi decursum eandem figuram, semel à se occupatam retineat, ita quidem, ut primo aspectu statuæ, quam homini similiores videantur hoc morbo correpti. Sic indignantes quasi stabunt alii, alii meditabundi sedebunt, profundis quasi inhærentes cogitationibus: Hi brachia ad arripiendum quid extendent, illi offam ori afferendo occupati erunt. Quarum figurarum varietate qui delectatur, ridiculas certè in evolvendis Auctoribus inveniet. Hic autem rigor, quamvis tantus non sit, ut membra plane moveri non possint, mota tamen, eandem figuram servant. Sensus quoque pro minori vel majori morbi gradu vel omnes, vel quidam, vel nulli cessant. Respiratio autem una cum deglutitione, nunc libera plane manet, nunc paululum debilitatur. Pulsus ut plurimum Lethagicis similis est, non tamen ita languidus ac mollis, sed magis fortis atque æqualis, sanguinisque motum vel parum vel nihil depravatum indicat, variat autem & hic, pro circumstantiarum, atque causarum varietate. Urina una cum alvinis fœcibus, durante Paroxysmo supprimuntur, cum musculi eorundem excretioni dicati rigidi sint, ac exitum promovere inepti.

## XVII.

Sed pergamus ad Prognosin. In genere sciendum, nos versari circa morbum per se quidem periculosisimum, cuius tamen periculositas major vel minor metiri debet primo ex mali ipsius gradu. Cujus ratione illi, qui omnibus sensibus privati sunt, periculosius decumbunt, his, quibus quidam integri manent, quamvis hoc post paroxysmum demum sese prodat. Item Respiratio fortis & integra, melius signum est debiliori. Secundo ex ejusdem Origine sive causis prægressis. Harum enim si nulla evidens est, vel gravis, mitius quoque de morbo ipso formandum judicium, quam si præcesserint graviora malo, ut Febres, Deliria, Vermes &c. Tertio, ex Paroxysmi diurnitate, quo brevior enim hic, eo mitius malum, & contra. Quarto ex Paroxysmorum frequentia. Semel enim si affligat minus est periculum, quam si sèpissim redeat. Quo loco non possumus non advertere in clarissimorum virorum Dodonei sc. in Observ. Med. cap. iv. & ex illo Heurnii errorem, qui neminem secunda vice sine pernicie certissima hoc morbo corripi statuerunt. Hic autem error, cum illorum exemplis, qui periodice, per plures etiam annos sèpissime inter negotia, sine majori etiam noxa, correpti fuere, clarissime refutetur, nos eundem refutare superfluum ducimus.

mus. Unicum tantum illud satis notabile *D. Febrii in Ephem. Dec. 11. An. I. p. 3.* de ruttica à quinto ad decimum quintum annum hoc morbo sæpius periodice vexata, memorantes. Ad quintum jam Prognoseos fundamentum pergitus, illudque ex symptomatibus conjunctis petimus. Si cum aliis morbis, v. gr. Epilepsia, Febribus, &c. conjunctus hic affectus, & gravior est & curatu difficilior illo, qui sine iisdem invadit. Sextum denique ex eventu fluit, qui sæpiissime hunc morbum graviora insequi mala docet, in soporosos enim sæpius Cataleptici incidentur morbos. Sic de Lethargo sequuto testatur *Dodon. in Obs. cap. v. p. 12.* Ex superveniente Apoplexia fortis lethalem hunc affectum observavit *Cl. Fehr. loco antea citato.* In Epilepsiam verò mutati hujus morbi, exemplum enarrat *Dodon. in Obs. cap. XLVI. p. 183.* Ad salutem autem finiri illud signum præcipuum est, si critica quædam accedat evacuatio, quod videre est in exemplo ab *Actio Terrabibl. II. Serm. 11. cap. 4.* notato, in adolescentem quodam, in quo, postquam per triduum hoc morbo correptus fuit, acente tandem narium hæmorrhagia uberiore, à Malo hoc liber factus est.

## X V I I I .

Perspectis sic iis quæ ad explicationem morbi facere nobis visa sunt, de curatione quoque breviter nostram explicare mentem & necessitatis & instituti est. Ne verò in isto tramite salutis restituendæ titubemus, Mercuriales Asclepiadei viatoris statuas, in bivio præxeos positas, sequemur rationem sc. & experientiam, ratio indicationes, experientia auxiliorum indicatorum materiam offert. Duo autem in eadem attendenda, alia scilicet quæ in, alia quæ extra Paroxysmum facienda. In Paroxysmo quidem omnis movendus lapis est, ut materia viscida circa sensorium commune stagnans, neruorumque orificia, plus minus claudens attenuetur, ac removetur, sicque spiritibus stagnantibus liber restituatur circulus. Sicque remota causa effectus quoque tollatur. Id quod Medicamentis tam in, quam externis ex Tribus Medicinæ nostræ Fulcris, Chirurgico nempe, Pharmaceutico, atque Diætetico petitis obtinere allaborabimus.

## X I X.

Chirurgia Venæ Sectionem suppeditat, indigne à neotericorum quibusdam, sola aliis contradicendi libidine, è Medicina relegatam. Hanc enim, cæteris nempe paribus, & si nulla adsint contraindicantia,

cantia, in nostra quoque affectu, quandoque adhibendam esse, si nempe sanguis vel quantitate peccet, & ratio dictitat & experientia. Ad prius demonstrandum, materia sensorium commune obstruens crassior est atque tenacior, quam ut Medicamentis Volatilibus cito vel incidi, vel removeri, sicque pori deobstrui possint. Hac ergo opus est, non quidem ad crassitatem hanc corrigendam, sed ad moram ipsi injiciendam, ut scilicet materiae peccantis pars quædam ex loco affecto, loca sanguinis missione vacua relicta iterum occupet, & sic à periculosiori, in minus pericolosum descendat spatium, quæ Mechanica est demonstratio. Posterius experimentum illud *Aetii* antejam citatum probat, qui mentionem facit juvenis per triduum hoc malo correpti & quarto demum die prægressa larga per naras sanguinis eruptione statim levati; à quo exemplo facilis erit argumentatio. Nihilo minustamen, & hic illud, quod ubivis in generoforum remediorum usu, attendendum, ut tanquam extremum remedium, obstinato scilicet malo, & in cassum adhibitis aliis reservetur. Dein quoque Cucurbitulas absque scarificatione tanquam optimum dissipandi ac resolvendi materiam peccantem remedium commendant quidam, cum eadem tamen in Venæ Sectione observata cautione. His enim juvenem quendam Catocho cum Febre correptum se curasse scribit *Cardanus in Curat. admirand.* 23. Vesicatoria extollunt alii, & non immerito, cum tam eliminando materiam peccantem, imprimis lympham, quam dolorem excitando, suam ad excitationem ægri promittant opem. Possunt autem instauri vel in nucha, vel pone aures, vel in brachio vel pedibus. Unicum tantummodo Exemplum, quod *Fehrnius in Eph. Germ. C. e.* habet, verbo tangemus, Mulieris nempe, Catalepsi correptæ, quæ vesicatorio pedi imposito melius habuit. Magni quoque Chirurgiæ Infusoriæ inventores faciunt suam infusione liquorum volatilium in venas ægrotantium, hanc vero cum sufficienti destituatur hactenus experientia, nec improbare, nec valde extollere possumus. Nec Fanticulis sua detrahenda laus, siquidem tam ad curationem, quam præservationem, præsertim ubi à Lympha malum ortum habet, usu non spernendo prædicti sunt. Cauteria, tum actualia, tum potentialia commendant alii non immerito. Imprimis autem Moxam vertici rite cum bacillis applicatam, pro præsentissimo remedio habet *Geifusius in Dissert. de Moxa*, hancque suam sententiam rationibus non tantum, sed experi-

experimentis quoque probat quam plurimis. Ligaturas quoque non sine fructu adhibitas fuisse annotarunt quidam. Optimus quoque ex gravioribus corporis commotionibus, Frictionibus scilicet cum pannis asperioribus, calidisque, capillorum vellicationibus, pectinationibus, urticationibus &c. expectandus successus. Hæ enim humores subtilisandi, torpidis motum reddendi, atque sic obstructiones referandi, non satis deprædicanda virtute gaudent. Instituendæ autem sunt in toto corpore, præsertim aures Capite, Cervice, Spina dorsali, Volis manuum, plantisque pedum, cum hæ partes ob nervorum copiam exquisitissimo tactus sensu præditæ sint. Pro certissimo illas remedio habet Dodoneus, atque mediantibus solis his, aliquot à se curatos Catalepticos scribit in *Observ. Med. Cap. iv.* Et ne quicquam quod ullo modo ad affectus nostri curationem facere yideri possit, omittamus, generosissimum illud trepanationis in Chirurgia remedium superest. Quod quidem valde commendare non suscipimus. Præterquam enim, quod firma stet communis illa Medicorum regula: Nullum remedium gravius sit suo malo, dubius ejusdem eventus est, atque his nostris in oris difficillime admittitur.

## X X.

Pharmaceutica cura coincidit fere cum illa, quæ in Epilepsia, Apoplexia, Melancholia, atque Affectibus Soporosis adhibetur. Vomitoria prosunt, præsertim si in primis viis radix mali hæreat, idque non tam ratione evacuationis, quam gravioris ventriculi ac intestinorum, perque horum consensum Cerebri commotionis. Sola enim hac catarrhosam circa sensorium commune hærentem materiam remotam, siveque ægros in quibus frustranea quoque reliqua fuere remedia, excitatos fuisse, præter aliorum experientiam, Wedeliana imprimis comprobat. Nominatim vero huic scopo apta sunt, Aq. Benedict. Ruland, Mercur. vitæ, Tartar. Emet. Vitrum Antimonii, Crocus Metallorum, Sal Vomitivum. Vitriol. atque quamplura alia, quorum imprimis dosis optime observanda.

## X X I.

Hæc vero cum nec semper ex usu sint, & magis palliative, quam ex fundamento causam mali tollant, ad alia remediiorum generi deveniendum, quæ inter principatum tenent, prīmo omnia Volatilia tam in secca quam humida forma, quæ cum multum materiae primi Ele-

menti admixtum habeant, poros nervorum obstructos, sicque de-  
mum materiam circa eosdem hærentem crassam ac viscidam per-  
meando, volatilem magis reddent, ut tandem loca occupata re-  
linquere apta reddatur. Hujus generis sunt primo omnia Sal. Vol.  
ex omnibus regnis petita, atque in varias formas redacta v. gr.  
Aquæ, Spiritus, seu Salia Volatilia, Essentiæ, Tincturæ, Olea,  
Conservæ, Syrupi aliaque quamplurima. v. gr. Aq. Card. Ben. Fœ-  
nic. Lavend. Lil. Conv. Menth. Melis. Cinamom. Rosar. Fl. Til.  
item compositæ magis Aq. Antiepilepticæ variæ, Antihyster. The-  
riacal. simpl. & comp. Anhaltin. Elix. Vit. Matthiol. Aq. &c. Spi-  
rit. Anthos. Cochlear. Sal. Ammoniac. Aceti. Fl. Til. Rosar. Ma-  
joran. Cariophyl. Fœnic. Anis. Tartar. volatilis, Corn. Cerv. Fu-  
lig. Nitr. dulc. Vitriol. Spirit. Vener. Zwelffero Alkahest dictus.  
Lumbricorum Terrest. Sal. commun. Urinæ, Succin. Bez. Buff.  
seu Liquor. CC. Succinat. Mixtura in percutis Paracelsi, quam  
Mixtur. Simplicem vocant. Spirit. Vini Rectificat. Alkohol. vini  
Camphoratum, it. Salia Volatil. Oleof. variorum Auctor. Sylvii, le  
Mort, Maëts &c. Essentiæ & Tinctur. Lign. Guajac. Cariophyll.  
Succin. Macis, Ambræ, Quinta Eff. Tartar. Eff. Mart. Volatil. Ca-  
stor. Olea destill. varia Majoran. Rorisman. Rut. Aneth. Anis. Fœ-  
nic. Carv. Cumin. Spic. Cariophyll. Cinamom. Lign. Rhod. Succin.  
Citr. Chamomill. Aurantior. Menth. Fuliginis &c. Conservæ Citri,  
Aurant. Fl. Lavend. Carioph. Menth. Anth. Salv. Meliss. Rosar. &c.  
Syrupi Stæchados, Cinamom, Botryos, Viol. Pœon. Cochlear. &c.

## XXII.

Alterum Medicamentorum hoc in Paroxysmo convenientium ge-  
nus constituunt Salia volatil. Terreis particulis inclusa, quæ resol-  
vendo, incidendo, absorbendo, explicando, sicque obstructos po-  
ros aperiendo agunt, qualia in primis præbent, primo animalium  
partes variæ, ut sunt, Lapis Bezoar. Oriental. & Occident. Lap.  
Cancr. Corallia, Mater Perlar. Corn. Cerv. Ebur. Unicorn. ma-  
rin. Dens Hippopot. Apri, Mandib. Lucii piscis Stinci marini,  
Offa sepiæ, Ungulæ alecis, Blattæ Byzantinæ, Offa de Corde  
Cervi. &c. Deinvaria quoque producta Chimica ut Sal. CC, Tar-  
tar. Absynth. Acetol. Sal. Volat. fixatum f. Sal. Ammoniac. re-  
generatum. Flores Sulph. Martis, Sal. Ammoniac., Benzoes Ter-  
ra Foliat. Nit. & Tartari, Tartarus Vitriol. Vitriol. Mart. Pulv. Po-  
lychrestus Cornachii f. Comitis de Warwick, Arcan. duplicat, Terra  
Vi-

Vitrioli, Ros Vitriol. &c. atque quamplurima ex Marte, Cinabari, Antimonio, Nit. ac Vitriol. Praeparata Medicamenta. Ex quibus cuilibet facile erit varii generis, pro lubitu concinnare Medicamenta, vel tenuia, vel crassiora, prout vel magis vel minus deglutire æger possit..

## X X I I L

His ore assumendis combinanda alia etiam sunt remediorum genera, quæ interdum sola adhibere necessitas mandat, si nempe deglutire non valeat æger. Inter hæc principatum facile tenent graveolentia, Errhina, atque sternutatoria naribus applicata partim, partim inflata, cum hac tamen cautela, ne fortiora sint, sicque paucissimos forsan adhuc reliquos in cerebro spiritus dissipent. Cujus generis sunt Spirit. & Sal. CC. Viperarum, Camphora ejusque Elixir, Ol. Tartar. per deliq. Castoreum ejusque Tinctoria, Sal. Volat. Urinæ, varii Pulveres sternutatorii satis noti, aliaque fortiora, tam graveolentia, quam fœtida, jam antea enumerata. Clysteres interdum acriores, ut & suppositoria exemplo Heerii magnæ sunt efficaciæ. Clysterum exempla habet Henr. Regius in Praxi, Cap. de Catalepsi. Interdum autem ob muscularum rigorem vel non admittuntur, vel plane, sine effectu tamen, retinentur. Post hæc varias commendamus inunctiones in Nucha, Linguæ apice, spina dorsali, aliisque corporis partibus, nervorum copia donatis, ex Spiritibus, Oleis atque unguentis nervinis, atque valde penetrantibus. Ad quæ præter alia jam inter interna enumerata referenda sunt, Spirit. & Oleum C.C. ut et Fuligin. Majoran. Oleum de lateribus s. Philosoph. Menthae, Salviæ, Unguentum Fuscum Wurzii, Bals. Lign. Rhod. Bals. Sulph. Fœniculat. it. Apoplectici varii. Ad hæc quoque referendæ sunt capitis Iotiones cum Aquis Spirituosis it. Spir. Vin. Sic enim studiosum quandam ex Terrorè Catalepticum, cui casu ab ebrio contubernali magna Spiritus vini quantitas capiti superinfundebatur, curatum vide in Observ. Med. Phys. Select. Paullini, annexis Ephem. Med. Phys. Germ. Dec. II. Ann. V. Cucuphæ quoque ex herbis, cephalicis vulgo dictis capiti applicari poterunt. Nemque animalia viva dissecta & calide Occipiti applicata, ut Columbae, Gallinæ, Hirundines, Pelleisque animalium recentes & calidæ &c.

## X X I V.

Cessante verò Paroxysmo, an ex causa quadam manifesta, an  
citra

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS.<sup>I</sup>

citra eandem ægrum invaserit hic morbus sedulo attendendum. Si prius, optime præcavebitur Recidiva, si à causa hac fese caveat patiens. Si autem morbus præcesserit, v. gr. Epilepsia, Delirium, Febris &c. hic ad sui curationem medicam efflagitat opem, peracta enim hac sua sponte quoque cessabit Catalepsis. Quorum quidem singulorum affectuum curationem recitare, nostri hic loci non est instituti. Sin Posterius, ita procedendum, ut primo Diaphoreticorum usus per tempus aliquod continuetur, quo materia peccans magis magisque attenuari, incidi, absorberi, resolvi, atque evacuari possit, in quem finem omnia assumi possunt Diaphoretica satis nota, v. gr. Antimon. diaphor. Sulphur verum, Antimon. Fl. Antimon. Glauberi, Panacea Auri s. Sulph. Antimon. auratum. Ceruss. Antimon. Acer. Antimon. Compos. Tinct. Antimon., Cinnab. nativ. & Antimon. Fl. Sulph. Bezoard. Mineral. Elix. Camphoræ, Spirit. & Aq. lign. Guajac. Tinctur. Croci, Elix PP. Paracels. cum & sine acid. CC. sine Ign. s. Philosoph. Calcinat. Mixt. Simpl. Tinctur. Bezoardicæ varior. auctorum, aliaque innumera. Ex quibus varie vel inter se, vel cum aliis remixtis, varii generis Medicamenta componi possunt. Quo peracto demum ad corporis purgationem conveniendum. Cui fini inserviunt Purgantia quævis, Vinum Catharticum Rulandi. Mercur. Sublim. dulc. Resin. Jalapp. Scammon. Extract. Catholic. Amstelodamens. Extr. Agaric. Jalapp. Scammon. Gumm. Ammoniacum. &c.

## X X V.

Pro præservatione denique commendamus Thermas, sive naturales illæ sint, sive artificiales. Modicum Coffe & Thee usum &c. Imprimis autem omne absolvet punctum

## X X V I.

Diæta, circa quam satis jam dictum erit, si unicum hoc monuerimus, ex rebus non naturalibus cavenda esse imprimis illa, quæ in causarum Procararcticarum numerum recensuimus antea, hisque contraria esse eligenda.

*Archiatro animæ Gloria.*